



~~G 17~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
*W-59.*

SIGNAT. cis 15 CCCXIII.

Q. D. J. B. V.  
Appetitum,  
RATIONEM TRIUM-  
PHANTEM,  
*DISSERTATIONE ETHICA* — 26  
*PRIORE,*

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, atque  
EXCELLENTISSIMO

Dn. CHRISTIANO Röhrensee/

Phil. Pract. P.P. dudum celeberrimo,

Alumn. Elect. Ephoro gravissimo,

Dn. Patrono & Studiorum promotore

dexterimo,

Placido Eruditorum Examini

sistit

A. & R.

M. MATTHIAS PLATANI,

Dravecensis Hung.

An. M DC XC Die 5. Apr.

In Auditorio Majori.

f. III. 365+

WITTEBERGÆ, Typis MARTINI SCHULTZII.



VIRIS,  
Plurimum Reverendo, Praclarissimis,  
Amplissimis, atque Excellentissimis,  
**DN. M. CHRISTIANO**  
**HERMANNO,**

Ecclesiastæ, Ædis Wratislaviensium Elisabetanæ vigilantissimo, Sacri Consistorii Assessori gravissimo, S.S. Theologæ in Gymnasio vicino, Professori Publico, longè celeberrimo.

*Nec non*

**DN. M. MARTINO**  
**HANKIO,**

Rectori Gymnasii Eliabetani, ejusdemque Professori dudum celebratissimo, ceterarumque Scholarum, Aug. Confess. addicitarum, Inspectori gravissim.

*III. &*

**DN. CHRISTIANO**  
**GRYPHIO,**

Gymnasii ad Mar. Magdalena, Rectori atque Professori meritissimo, Polyhistori celeberrimo,  
*Dominis Mæcenatibus, Patronis, Fautoribus atque Preceptoribus suis, eternâ obsequiâ submisiōne Venerandis,*  
Hanc de Rationis & Appetitus Pugnâ, Dissertationem,  
cum omnigenæ prosperitatis voto  
*D. D. D.*  
Nominis eorundem.

*Perpetua cultor*  
RESPONDENS.



*Q. D. J. B. V.*

Ocordiæ Iuavissimum nomen, cui non ar-  
ridet? qvem non deleat blanda Concordiæ recor-  
datio? Ea enim illius natura est, ut minimas res, in  
magnas crescere, dissipatas in unum quasi corpus re-  
dire faciat. Hac Imperia stant, florent Regna, Respublicæ felici-  
simâ gaudent quiete. Vinculum eam rerum omnium si dixe-  
ris, haud qvaquam à veritate aberraveris. Hanc Romani tanti  
habebant, ut inter immortales Deos locum assignare, ædemque  
in Arce eidem locare, nulli dubitaverint, (Livius l. 22, cap. 31.) non  
aliam ob causam, qvam qvod existimaverunt, fore, ut placatâ ri-  
te concordiâ, res eorum salvæ atque firmæ sint mansuræ. Et cer-  
tè, ubi commune illud vinculum animos civium constringit, ma-  
gnum ad felicitatem civitatis accedit momentum. Unde non si-  
ne causâ Scipio, cum deletâ Numantiâ, cœteras Hispaniæ gentes  
ordinaret, qvendam Celtarum Principem interrogans: qvâ de  
causâ res Numantina invicta ante steterit, nunc autem eversa-  
sit? hoc tulit responsum: Concordiâ invicta, discordia exitio  
fuit, ut auctor est *Orosius* (lib. 5, cap. 8.) Nec civiles solum res con-  
cordiâ stant; verum naturales quoque sapientissimus earum  
Conditor sic dispositus, ut exæstissimam harmoniam, concordem-  
que amicitiam nobis repræsentarent, qvam gentiles etiam ultra  
deprehenderunt, & laudibus celebrarunt; Ita enim transmutati-  
onum artifex Ovidius primam rerum exponens Originem, canit;  
Hanc Deus, & melior item natura diremit.

Nam Cœlo terras, & terris abscidit undas:

Etiqvidum spissò secrevit ab aëre Cœlum.

Qvæ postqvam evolvit, cœcoque exemit acervo,

Dissociata locis concordi pace ligavit.

Sic in homine, parvo illo mundo, non postremum assignavit lo-  
cum Corcordiæ Sanctissimum Numen, sed eam, tanqvgm in per-  
fectissimo imperare jussit Regno. Ast invidia effecit, ut pulsò  
A 2

tam

etiam miti, & tranquillo Rege, turbulentissimus illud' occupaverit  
Tyrannus, discordiam innuo, pestem nocentissimam. Hinc fa-  
ctum, ut hominis pars inferior superiori non modo non obtempe-  
ret, sed bellum etiam subinde faciat pernicioſſimum, in quo a-  
criter utrinque certatur, & mox hæc, mox altera victoriam repor-  
tat, homini vel utilem, vel noxiā. Hæc cum sapientia apud me  
expendem, & in causas atque Principium tanti mali inquirerem,  
subiicit animum cupido, paucas conscribendi theses, easque publi-  
co eruditorum examini subjiciendi. Qvod ut bene feliciterque  
eveniat, pacis concordiaque auctor D.O.M. facere velit.

### Thesis I.

**D**E pugna rationis & appetitus aëtiorum, tria in ipso statim  
tractationis limine veniunt excutienda, 1) *Ratio*, 2) *Appeti-  
tus*, 3) *Pugna ipsa*. In his tribus enim cardo totius Dis-  
putationis vertitur, qvibus probè expensis, reliqua suā  
sponte fluent.

II. Rationis vocabulum, si Etymon spectes, à ratus, qvod  
est à reor, descendere notissimum est, unde Ratio, quasi constans  
& firmum arbitrium, sive id, quo aliquid ratum sive certum esse  
judicatur. Synonyma ejus sunt acumen, solertia, lux lumenq;  
vitæ, &c. apud Ciceronem & alios passim. Non una tamen ra-  
tione capitur à Philosophis, modo enim significat ipsam essentiam,  
qvomodo à Metaphysicis adhiberi solet, ac valet idem, qvod  
*λόγος τῆς σογίας*. Modo causa notionem sustinet; sic in Logicis  
sc̄epe medium terminum, aut probationem per Syllogismum vo-  
camus Rationem. Arithmeticis est supputatio, unde Rationa-  
rius dicitur is, qvi Rationes subducit. Physicis duplē qvōq;  
involvit notionem, vel enim significat ipsum intellectum, seu po-  
tentiam, sive facultatem intelligendi, vel ratiocinationem, sive  
ipsum aëtum intelligendi. In moralibus deniq; haud infre-  
quent complexè usurpatur, qvatenus nimirum & intellectum &  
voluntatem complectitur. Has & plures alias vocabuli Rationis  
acceptio[n]es, qvas exhibent Armandus de bello visu, Micralius in  
Lexico Phil. & aliis, missas facimus, sufficere nobis rati, si eam re-  
tinca-

tineamus, qvâ Ratio denotat Rectum Rationis iudicium, illudque naturale, ex principiis naturâ notis & conclusionibus Praetiticis fluens. Unde simul liquet, nos in præsenti, Rationem Praetiticam innuere, qvâ à Theoreticâ fine differt, ut Arist. 3. de *Animâ* 10. innuit. Intellectus enim contemplativus, nihil eorum, qvâ sub actionem cadunt, contemplatur: activus è contrario ita rem iudicat, ut simul consulat, ac de mediis, si res bona est, acqvisitendi, vel si mala, avertendi, dispiciat. Conf. Heereboord *Coll. Eib. Disp.* 8. §. 2. seqq.

III. Appetitum ab appetendo nomen traxisse constat, qvem Cicero, ex mente Stoicorum, describit per immensam & immoderatam cupiditatem, sed nimis arcta. Est autem triplex, 1.) *Naturalis*, qvi Græcis οὐγὴ dicitur, & est impetus quidam naturæ, citra sensum factus; vocatur innatus apud Fontec. 1. *Metaph.* 1. qvæst. 3. sect. 3; competitqve inanimatis. 2.) *Animalis*, Græcis ψυχής dicitus, qvi est vis qvædam animæ sentientis, qva objectum cognitum vel appetit, si bonum, vel aversatur, si malum esse, apparet. 3.) *Rationalis*, qvi Græcis βολῆς audit, & est facultas animæ Rationalis bonum & malum, ab intellectu cognitum, vel appetens vel refugiens. Ille pertinet ad facultatem vegetativam, qvi, uti cum ipsâ facultate necessarius est, ita etiam a nobis h. l. non multum attenditur; hic pertinet ad facultatem animæ Rationalem; Iste spectat ad sensitivam, & in præsenti materia a nobis intenditur. Idem duo involvit α] ipsam facultatem appetendi, seu actum primum, β] appetitionem, sive actum secundum. Ubi notamus, in hac, qvam exhibemus, pugnâ, non opponi facultatem appetendi, Rationi sive intellectui, qvia haec binæ facultates, in se & suâ naturâ, nec erant, nec sunt sibi opposita, sed subordinata; Verum opponi appetitionem, qvæ ἀνάταξις sc̄episimè involvit, *Judicio reelecione Rationis*, cui plurimum contrariatur. In hoc Appetitu sensitivo potissimum resident *Affectus*, τὰ τῆς ψυχῆς ὑπερβολα, animi jumenta, ut eos Plato, teste Plut. de *Virt. mor.* appellavit, suntqve motu appetitus potissimum sensuiri, orti ob imaginationem boni vel mali, ad aliquid persequendum, vel fugiendum orti. Vocantur alias passiones, item perturbationes &c. Et cum duplex sit appetitus sensitivus, concupiscentia & irascens, duplices quoqve constituuntur

& sunt affectus', ad priorem pertinet, amor & odium, gaudium & delectatio, dolor & tristitia; ad posteriorem spes, desperatio, audacia, timor, & ira; illis bonum appetimus, malum aversamur; his malum, quod bono obstat videtur, propulsamus. Utrisque tanquam satellitibus suis subinde oppugnare solet Appetitus Rationem, non raro proflus expugnare. *Cartesius* eqvidem tract. de Passionibus animæ, rejicit distinctionem inter facultatem concupiscentem & irascentem, ex eo principio, quod una sit anima, ea que posse plures admittere affectus, v. g. admirandi, sperandi, amandi &c. ac ideo etiam aliter disponit ac recenset passiones sive affectus. Cœterum, cum non videam rationes, cur à communī & recepta illâ divisione recedendum sit, placet eandem retinere, i nprimis, cum reliqui affectus ad duas has classes operâ reduci possint non difficulti. Diximus autem *temporissimum* in sensitivo appetitu residere affectus, id factum ideo, quia inficiari difficile est, in rationali quoque, qui voluntas appellatur, dari eosdem, rationi non usque quaque obsequentes, ut rectè observat *Dürrius Institut.* *Eth. part. 3. sect. 1. cap. 6. §. 9. pag. 109. & Probl. Eth. 47. pag. 89. seqq.*

IV. Pugnam à pugno derivari auctor est Donatus; h. l. vero per quandam similitudinem à certamine hostiū ad presentem transferri rebellionem appetitus, non est, ut prolixè probemus. Id potius observamus, esse non nullos, qui pugnam Rationis & Appetitus sensitivi cum pugnâ carnis & spiritus confundunt, inter quos est Bellarm. lib. 6. de gratia & lib. arb. c. 11. item *Author Epitom. Theol. an. 1634. Brunsvig. edita.* Etenim 1] dicta de pugnis istis distinctè agentia non distingunt. 2] Lucretiam carnis & spiritus irregenitum etiam tribuunt. Vid. B. Hulsem. *Prælett. Form. Conc. art. 6. sect. 4. porism. 4. pag. m. 403. & 594.* Nos vero ista pro distinctionis habemus; Nam differunt 1] *Subjectis, οὐρανούς τε καὶ γηνός* enim tantum renatis, pugna Appetitus & Rationis omnibus competit hominibus. 2] *Causa efficiens*, illius causa efficiens est Spiritus S. hujus coniuncta vel congenita notitia de discrimine honesti & turpis, boni & mali. 3] *Qualitate effectuum*, quia præstanssum rationis opus hominis irregeniti adversatur Spiritui, Rom. 8. 7. quod tamen etiam appetitui aduersatur, mala & in honesta appetenti. 4] *Fine, οὐρανούς τε καὶ γηνός*, finis est habita.

tualis pietatis incrementum, & vita æterna; hujus vero, de qua in  
præsenti agitur pugnæ, finis est convictio conscientiæ de justitia  
Dei vindicativa; obtentio boni & fuga mali, vid. plura apud lau-  
datum D. Hulsem. l.civ. pag.m. 402.

V. Dari vero talem pugnam, probant non solum auctoritas Philosopherum etiam gentilium, verum ipsa quoque actualis in uno quoque homine existentia. Testimonia veterum longâ serie produci possent, si iis res agi deberet; sufficiat tamen duo adduxisse, alterum Aristotelis, alterum Senecæ, quod mirere in homine Stoico, & omnes affectus extirpare volente. [ut vulgo ferunt, de quo in sequentibus.] Sic enim Arist. Eth. 13. in aperto est, inquit, esse in animo aliiquid, præter Rationem adversarium, & contra hanc vadens. Et Seneca Epist. 2. initio. Quid est hoc Lucili, quod nos alio tendentes alio trahit, & eo unde recedere cupimus, impellit? quid colluctatur animo nostro, nec permittit nobis quicquam semel velle? Et quis est mortalium, qui non cogatur fateri, dari in se pugnam, non tantum talem, quæ judicium rationis practicæ, absolutum, qvo scilicet seorsim ac in se spectatum aliiquid, bonum vel malum, adeoque vel faciendum vel fugiendum judicatur, cum judicio ejusdem comparato, seu comparatè sumpto, qvo aliiquid rebus aliis collatum, omnibus circumstantiis expensis, faciendum vel omitendum censemur? vid. Heereb. Coll. Eth. Diff. 8. th. 7. pag. 38. Sed etiam, & imprimis talem, quæ inferior hominis facultas, superioris jussa recusat. Quid? quod causæ illius dentur plurimæ, quibus in actu positis, & non impeditis, quod minus detur effectus, juxta nobiscum intelligunt omnes. Adeò ut subeat animum mirari, qvomo-  
do Bernardinus Tilesius lib. 9. cap. 25. de natura rerum, sustinuerit pugnam hanc negare, ex illo principio, quod facultates ab animæ substantiâ emanent, eique ita inhæreant, ut ne cogitatione quidem ab eâ se Jungi possint; quod tamen principium falsum esse, illorū norunt, qvos distinctio substantiæ & accidentium non latet. Nam non sequitur: Facultates hæ emanant ab animæ substantiâ, E. sunt ipsa substantia animæ, adeoque ne cogitatione ab eâ se Jungi possunt; quia & radii solis emanant ab ipsa substantiâ solis, nec tamen sunt ejusdem cum sole substantiæ; Operationes intellectus emanant ab intellectu, nec tamen sunt ejusdem cum intellectu



intellectu substantia &c. Adde, nos jam superius monuisse, non  
ipsas facultates, sed facultatum actus secundos invicem pugnare,  
& quidem non per se, & suam naturam, sed per accidens, de quo in  
sequente, DEO juvante, dissertatione, prolixius sumus acturi.  
Nec multum abesse videtur a sententia Tilefii Cartesius, qvando-  
quidem tractat de passionibus animae passim affirmat, homines imaginari  
sibi pugnam Rationis & Appetitus, qvem natu ratio sequitur Lu-  
dovicus de Forge tract de mente humana cap. 23. pag. iii. 194. seqq.

VI. Ceterum, ut melius sequentia intelligantur, hunc in-  
modum pugnam Rationis & Appetitus describimus: *Pugna Rat. &*  
*App. sensitivi est dissensus appetitionis, sive, actus secundi appetitus sensitivi,*  
*cum recto intellectus practici iudicio, ortus ex objecto sensibili grato, a*si* iu-  
dicio intellectus practici malo & inhonesto, ad obtainendum bonum, & propul-  
sandum malum. Conceptus contrahibilis loco assignamus Dispen-  
sum, qvia is latius patet, qvam ut praesenti tantum materia possit  
applicari. Conceptus contrahens, seu differentia sumitur a] a  
subjecto, b] ab objecto, c] a fine.*

VII. Causae pugnae hujus sunt vel internae, vel externae. Il-  
lae materia & forma; haec efficiens, & finalis. *Materia ex qvâ, uti*  
*reliqorum accidentium, ita qvoque hujus datur nulla, ejus ta-  
men vices supplet materia. a] In qvâ, sive subjectum, qvod est*  
*partim Ratio & intellectus, partim Appetitus sensitivus. b] Cir-  
ca quam, sive objectum, cuius *Materiale est res ipsa prosequenda,*  
*vel fugienda. Formale vero est rei bonitas, vel malitia moralis. Haec*  
*objecti diversitas non parum afferit momenti ad infelicem illam,*  
*luctam, rem tamen omnem non conficit. [nam & circa unum,*  
*idemque objectum illa potest exoriri] Enimvero iudicium intel-  
lectus practici rem objectam subratione honesta utilitatis volun-  
tati appetendam svadet: Appetitus contra objectum suum, sub  
ratione jucundi eidem objicit, loco motivamque ad apprehen-  
dendum incitat. Forma consistit ab una parte in concupiscen-  
tiâ seu appetitione, ab altera in reluctantia sive aversatione, si cir-  
ca idem objectum pugna est: Sin vero circa diversa, tunc in utro-  
que ab utraqve parte consistere potest. Efficiens datur varia & mul-  
tiplex, ita tamen ut altera magis influat in effectum hunc tristissi-  
mum, altera minus. c.] Primarium locum sibi vindicat ab una  
parte**

parte connata vel congenita notitia de discrimine honesti & furi-  
pis, boni & mali; ab altera naturalis inclinatio, ad id, qvod sensi-  
bus bonum esse videtur, licet revera sit malum & turpe. 2) Hanc  
excipit organi mala dispositio, qvæ ut Imperio Rationis non sub-  
jacet, ita qvoqve multum facit ad affectus concitandos; cum qvo  
conjuncta est temperamenti constitutio, qvæ quantum conferat  
ad affectus ciendos vel sedandos, dici satis non potest, & res facile  
tum rationibus, tum exemplis declarari posset, nisi perspectum  
haberemus, prolixè id executum fuisse Alexandr. ab Alex. lib. 3. ge-  
nial. dier. cap. 13. Bodinum lib. 5. de Rep. cap. 1. item in Meth. hist. cap 5.  
qvibus jungatur Thom. de Aquino in quæst. de malo, quæst. 7. art. 6. ad  
8. & 1. part. quæst. 81. art. 3. Conf. Conimbr. in 2. Arist. de gener. & cor-  
rupt. cap. 8. q 4. & Dürrius Eth. Paradigm. part. 2. aph. 5. pag. 78. seqq.  
Nec tamen id asserendo in castra protinus Galeni descendimus,  
qui peculiari libro evincere conatur, mores seqvi temperamen-  
tum corporis; qvod effatum si universaliter capiatur, oppidò fal-  
sum evadit, sin limitetur per particulam plerumque vel similes, ve-  
rum esse deprehenditur. Legi hac de re meretur Piccolom. Phi-  
los. Mor. gradu 1. cap. 28. 29. & 30. qui hanc sententiam prolixè per-  
traet & examinat. Galenum sequitur Joh. Huartus Hispanus  
Vir subtilis, in scrutinio ingeniorum; quem confutat Heereboord.  
Meletem. Philos. vol. 1. Disp. 44. th. 9. & 10. pag m. 167. 168. 3) Institutio-  
nis & disciplina neglectus, cui subinde pravum sodalitium ad-  
hæret, ab hâc causarum classe minimè removeri debet, solet enim  
his omnibus optima indoles pessum dari, & seminia virtutis con-  
nata, prorsus suffocari, ut exemplum filiorum Cyri, inter Gynæ-  
cea educatorum, apud Platonem lib. 3. de LL. & alia abundè testan-  
tur. Unde prudenter Seneca Epist. 7. Convictor delicatus, inquit,  
paulatim enervat, & emollit. Vicinus dives cupiditatem irritat. Ma-  
lignus comes, quamvis candido & simplici rubiginem suam affricuit. Quid?  
qvod Diviniores etiam literæ, bonos mores conforti, atqve fer-  
monibus pravis, corrupti, verisimè afferant, (1. Cor. 15, 33.) & res  
ipsa quotidie loqvatur. 4) Hunc sequitur sensus interni appre-  
hensio, qvæ interdum tanta est, ut non facile à ratione queat su-  
perari, Vid. Conimbr. Disp. 4. Eth. quæst. 3. 5.) Huc qvoqve facit  
propensio ad bonum sensuum, ad qvod homo per naturam est

proclivis rationem reddit Piccol. Phil. Mor. gr. 3. cap. 8. pag. m. 246. quia  
omnes, inquieti, incipimus vivere vitam sensuum, ac sine sensu nec esse,  
nec cognoscere, nec quicquam agere valimus. 6) In hōste à primis in-  
cunabulis sensim insinuat blanda corporis voluptas, teste Philo-  
sopho 2. Eth. 3. ubi inquit, voluptatem à teneris unguisculis nobiscum oriri,  
Educari, omnibus animalibus communem, nobis esse comitem assiduum,  
altissimasque radices in nobis agere, latentes, potentiū, ac intimius nos in-  
vaderet. Hæc suā dulcedine impedit rectum rationis judicium,  
unde Cato major apud Cicer. eandem maximopere execratur,  
adeò ut dicat, Divino illi muneri ac dono, (mentem intelligens) nihil  
offe tam inimicum, quam voluptatem; & post pauca: quia si major esset,  
atque longior, omne animi lumen extingveret. Hoc Divinus Plato  
apud animum revolvens, escam malorum voluptatem corporis ap-  
pellare non dubitavit, quod ea homines, non aliter ac pisces ca-  
piantur. 7) Ad circumstantiam temporis quod attinet, in ea sepe  
rationi & appetitui non convenit; Nam ratio futura expendit, si-  
ve ut Arist. 1.3. de anima cap. 10. loquitur, rem objectans ad futurum retra-  
bere jubeat, appetitus vero sensuvis præsens ipsum prosequitur. Ita ut quod  
jam affectus voluptate, id simpliciter bonum esse opinetur, nec am-  
plius respectum habeat ad futurum. 8) Inter causas externas re-  
ferti quoque possunt, probra, ignominia, inopia, honorum ac ho-  
norum jaetura, inimicitia, ac injuria, vexationes, & id genus a-  
lia, quæ multas molestias, mortores, indignationes, iras & similes  
affectus alios in nobis excitare solent, quibus ratio impugnari &  
expugnari solet. Conf. Heereboord. Exerc. Eth. 18. th. 3. pag. 77. Hæc  
omnia disponunt appetitum sensitivum, ut magis sivationibus  
sensuum, quia [Bonum sibi gratum, β] præsens, aut γ] futurum, sed  
facile obtainendum repræsentant, quam dictamin rationis, bonum  
honestum vel revera, vel, si in judicando erravit, apparet tale,  
proponenti pareat: unde appetitus sequitur dictamen sensitivum,  
& maximè phantasiam, quæ qvoad cognitionem similis est intellectu-  
tui; Voluntas sequitur dictamen recte rationis, unde fit, ut aliud  
appetitus cupiens, [qui affectus excitat, & voluntatem ad suas  
partes pertrahere studet] aliud ratio svadens, adversa velut fron-  
te concurrant, viresque suas experianfur.

VIII. Evidem Imperium in reliquas facultates inferiores  
omnes,

Omnes, Imperii capaces, communis Philosophorum sententia defert rationi, quippe, quā nihil est homini Divinus, ut ait Cic. 5. de fin. hinc etiam Plato 4. de Rep. τῷ μὴ λόγῳ inquit, ἀλλα τρεῖς Ratione ali parti competit imperare. Verum utri facultati, intellectui ne an voluntati hoc competit Imperium, inter Philosophos non æquè convenit; nam qvidam illud intellectui, ut Thomas, Cajetanus, Dominicus à Soto, Medina, Fonseca, Greg. de Valentia: alii voluntati, ut Henricus Gandavensis, Bona Ventura, Jacobus Almainus, [qui etiam supervacaneum illud Imperium esse censet] & alii deferunt, quorum argumenta profert & expendit Hornejus Philos. Mor. lib. 2. cap. 3. Ubi, licet sub finem capitinis sententiam suam exponens, dicat, Imperium toti supposito, adeoque neque voluntati, neque intellectui propriè competere, sub initium tamen capitinis pro intellectu quoque stare videtur.

IX. Nos priusquam nostram exponamus sententiam, Imperium illud describimus, quod sit *motus & impulsus voluntatis ex consilio & iudicio rationis, ad aliquid agendum vel omittendum*. Unde constat, voluntati illud potius, quam intellectui debere tribui, quia impellere est actus voluntatis, non autem intellectus practici, nedium theoretici. Et quanquam non imus inficias, intellectum practicum ita res objectas intelligere, & contemplari, ut simul id, quod cognovit & judicavit, & agendum esse, & quomodo sit agendum, voluntati proponat; non tamen inde sequitur, intellectum voluntati, aut facultatibus inferioribus imperare, nisi & illuminare, dirigere, & persuadere, pro imperandi notione sumere velis, quomodo largimur, prædicatum hoc intellectui tribui posse, cum is voluntatem per se facultatem coecam, illuminet, dirigat, objectum proponat, ejusque bonitatem vel malitiam moralem explicet, ac eo ipso vel appetendum, vel fugiendum svadeat.

X. Ceterum diverso modo imperat voluntas facultatibus inferioribus: & naturali quidem, sive vegetativa, non nisi quo ad circumstantias quasdam, & applicationem agentis ad patiens, non autem ipsos actus, qui ut naturales sunt, & necessarii, ita quoque liberi, & imperii non capaces. Nec obstat, nutritionem malam cura Medici corrigi posse: Item facultatem vegetativam habere appetitum, & etiam rationis imperio subesse. Nam Resp. ad prius,

nutritionem ipsam non pendere à ratione, sed ab intrinseca natu-  
ræ & temperamenti constitutione, qvando verò curà Medici corri-  
gitur, sit id per remotionem obstaculorum, nutritionem impedi-  
entium. Resp. ad post. Dist. inter appetitum innatum & elicitorum,  
hunc, non illum, qvalem facultas vegetativa habet, subesse rationi  
concedimus. Facultati *sensitiva* 1) cognoscenti, qva sensus inter-  
nos & externos complectitur, imperat tantum qvoad actus exter-  
nos, actus enim interni, qvi, ut intellectus judicium, sic & volun-  
tatis actum, antevertunt, vid. Wendel. *Phil. mor.* l. i. cap. 4. §. 77. Im-  
perio voluntatis non subjiciuntur. 2) Locomotiva ita imperat,  
ut ea necessario jussa illius exeqvatur. Ubi tamen distingven-  
dum inter actus simpliciter locomotivos, qvales servili subjectione  
voluntati parent, & locomotivos secundum qvid, qvi ex natura  
hominis dependent, qvales aut raro, aut nunquam Rationis Im-  
perio obseqvuntur, v.g. motus cordis, sanguinis, & aliorum mem-  
brorum, Conf. M. Wilhelmi Zeschii *Disputat.* l. de actuum moralitate  
Th. 24. 3.) Appetenti, s. appetitui sensitivo non aliter imperat, qvam  
civibus Rex, unde scitè Arist. l. de Rep. s. *Animus*, inquit, in corpus im-  
perium herile, mens autem in appetitum sensitivum civile & regium obtinet.  
Denique Intellectui qvoque imperat voluntas, partim qvoad actus  
exercitum, & conversionem ad alia objecta, h.e. ut de hac vel illa re  
judicet: partim qvoad specificationem, ubi tamen ii tantum actus  
intelliguntur, qvi ab intellectu nondum convicti producuntur,  
sive, ut Hornej. l. 2. *Phil. Mor.* cap. 2. n. 4. loquitur, qvi causas neces-  
sarias ac intellectum convincentes vel non habent, vel non habe-  
te saltem nobis videntur.

XI. His ita explicatis concludimus, voluntatem ita impera-  
re appetitui sensitivo, ut hic reluctari & frene mordere posfit. Non  
qvidem ullum imperium ei est in voluntatem, ex se & sua natura,  
cum ei subiectus sit, tanquam facultas inferior, cui in superiore  
non datur imperium; tamen qvando ille rem à sensu interno ob-  
jectam, pravâ imaginatione, per qvam ad appetendum movetur,  
apprehendit, apprehensam ita appetit, ut non audiat intellectus  
judicium, & voluntatis imperium susque deqve habeat fieri fere,  
non potest, qvin ipsam voluntatem proxime sibi adstantem in-  
conlensem rapiat; secus motio voluntatis appetitui non nisi in-  
terve-

terveniente notitiâ intellectivâ tribuitur. Resistit quidem aliquantum voluntas, rationis judicium sequendo, & quidem tam diu, dum judicium intellectus integrum & liberum manet, quo per vehementiam affectuum, per appetitum concitatorum, absorbito, appetitui ipsi cedit, vietasque, ut ajunt, porrigit manus.

XII. Observandum tamen voluntatem non ita superari ab affectibus, qvin ipsis quodammodo consentiat; manet enim libera, etiam in ipso instanti, seu momento temporis quo aliquid vult, ut egregie contra Occamum, Gabrielem & alios Nominales, cum Scoto, Capreolo, Svarezio, & aliis evincit Hornej. *Phil. Mor. l.2. cap. 5. pag. m. 209 seqq.* nec quoad actus elicitos, seu immanentes, quales sunt, velle & nolle &c. cogi potest ullo modo, qvia per essentiam suam & formaliter est libera. Vid. B. Meish. *Anthrop. S. Dec. 3. Disp. 21. quest. 7. pag. m. 19.* Item Stalii *Reg. Phil. part. 1. Disp 12. reg. 1. pag. m. 305 seqq.* M. Jac. Thomasius *Dilucid. Stalian. disp. 12. reg. 1. & 2. pag. m. 59 seqq.* Atque hinc patet falsum esse, qvod plerique Calvinianorum & Pontificiorum contendunt, voluntatem determinari ab ultimo intellectus Practici judicio, ita, ut non possit illud non sequi, & rem ab eo judicatam bonam appetere, malam fugere. Inter Calvinianos totis viribus hoc agit Adrianus Heereboord, tum in *Coll. Eth. disp. 10. tb. 6. seqq.* ubi tribus rationibus, & auctoritate Arist. id evincere conatur, tum in *Exerc. Eth. 14. 15. 16.* ubi argumenta omnia, ut ipse ait, qvæ potuit invenire, contrarium statuerint, resolvit, sed impari scepticus successu, & conatu frustraneo. Inter Pontificios vero Bell. l. 3. de Lib. Arb. c. 8. eandem tuetur sententiam. Qvibus nos partim libertatem voluntatis, partim absurdia inde provenientia opponimus, vid. auctores paulo ante cit. & Conf. Hullem. *Vindic. S. S. pag. m. 4 & Brevis. pag. 117. 126. & 128. edit. Heilbr. an. 1667.* Item *Manual. Aug. Conf. disp. 9. pag. m. 353.* Qvare optimè iterus *Syn. Phil. mor. l.2. cap. 1. q. 5.* succumbit, inquit, voluntas, sed sine necessitate ab affectibus illata, sine ulla corundem coactione, sed liberè statione sua deserit, hosti cedendo; secus affectuum impetu peccans, ab omni culpa Ethic à foret immunis, qvod tamen absurdum. Hinc porro sequitur, falsam esse Socratis atqve Platonis opinionem, non esse in nobis, ut boni vel mali simus. Nam si voluntas liberè se determinat ad hoc vel illud objectum, necesse est principium illud in nobis esse, per qvod sponte vel boni vel mali sumus, qvod Arist. 2. Eth. 7. & i. M. M. 9. prolixius disputat. Conf. Piccolomini, *Phil. Mor. gr. 3. c. 17. p. 259 seqq.*

XIII. Superatur autem voluntas vehementia affectuum; quæ, ut dictum, judicium intellectus ita obfuscatur, ut voluntas consentiat in minus bonum, quod a sensibus offertur, spacio intellectus ratiocinio, majus bonum representante. Hujus vehementia Scaturigo plerumque est imaginatio & concupiscentia, quæ aliquam rem subito objicit, eaque sub specie boni provocat & inescat appetitum. Is bono illo captus, affectus excitatur, ac locomotivæ motum imperat, efficitque, ut vel ante rationis advertentiam, voluntas consentiat in opus externum; vel animadverteat, licet intellectu, vires affectus acquirant, vehementiaque sua imperium voluntatis excutiant.

XIV. Non minimum vero momentum ad viatoriam illam appetitus assert intellectus judicium, quod sape depravatum est, partim naturæ destituta vitio, partim morbis, aliisque affectionibus; quod quando voluntas sequitur, non potest non induci in errorem, quem alias evitasset, si intellectus judicium sanum fuisse. Quare probè tenenda distinctione, inter judicium rationis, & inter judicium rationis rectæ, non qualem Sociniani fingunt, quæ expersit peccati originalis, & incorrupta, sed quæ careat in judicando & ratiocinando præjudiciis atque affectibus. Conf. Heereb. Coll. Eth. Disp. 8. pag. 35. seqq.

XV. Dicimus autem, voluntatem vinci ab appetitu 1] quando ad aliquid appetendum inducitur ante advertentiam intellectus, quod fit imprimis in subitaneis motibus, quos Scholastici primo primos nuncupant, qui antequam judicium intellectus practici accedat, generant motus secundo primos, & sic voluntatem in consensum rapiunt. 2] Præviò intellectus judicio relicto, quod fit, quando duo bona ei proponuntur, alterum ab intellectu, alterum ab appetitu, ita tamen, ut illud difficilius, hoc autem facilius sit acquisitu, hinc posterius præponit priori, non sub ratione mali, quomodo nihil appetit, quia extra spharam suæ activitatis, sive, extra suum objectum, quod tantum est bonum, vel verè, vel apparenter, ferri non potest. Vid. Heereboord. Coll. Eth. disp. 9. ib. 6. & Exercit. Eth. 13. ib. 4. seqq. Conf. Hornej. Phil. mor. l. 2. cap. 4. p. 180. Conimb. Disp. 1. Eth. q. 2. pag. 6. seqq. Stalii Reg. Phil. part. 1. Disp. 8. reg. 1. pag. 205. seqq. Sed sub ratione boni, etsi minoris, facilius tamen obti-

obtinendi. Aut si frumentaque & Rationis & Appetitus bonum, & quæ facile obtineri potest, id plerumque eligit, quod sensibus magis gratum est. Hanc inclinationem voluntatis, appetitus observans, affectus excitat majores, qui bonum suum eo magis appetibile reddunt, quo magis eorum naturæ convenit.

XVI. Etita vincitur I.) Ratio, quando ejus judicium susque de qua habetur, partim à voluntate, partim ab appetitu. Nec obstat, quod Cic. 2. de Fin. dicit: Rationem esse altum quiddam, & excelsum, nihil timens, nemini cedens, semper invictum. Nam Resp. 1) id valere de ratione rectâ, quæ utique vincit non potest, h. e. non potest eo adduci, ut rem, quæ per se bona, adeoque appetenda est, malam ac fugiendam, & rem, quæ per se mala, adeoque fugienda est, bonam & appetendam judicet; non vero de ratione erroneâ, & corruptâ præjudiciis & affectibus, quæ non raro bona judicat esse mala, & mala è contrario judicat esse bona. Resp. 2.) Valet de ipso rationis judicio, non autem de ejusdem applicatione, illud est invictum in intrinsecâ suâ Naturâ, hæc vero scèpissimè negligitur. II.) Vincitur voluntas, quando meliora sciens, spretò intellectûs judicât, cuius ductu omnes inferiores facultates coercere, & in obsequio continere debet, in castra transfit Appetitus, eiique, cui imperare debebat, sponte suâ obsequitur.

XVII. Exemplis ea res pluribus declarari posset, sed sufficient in praesenti duo, quæ summi affectuum ciendorum Magistri nobis reliquere; alterum est Phœdræ apud Senec. in Hippol. act. 1. v. 177. seqq. cui rationis vicem sustinens nutrix, optima quæque fvasit, & voluntas consensum, sive ut alii forsitan accuratius vocant, complacentiam testabatur his verbis:

Quæ memoras scio

Vera esse, nutrix.

Tamen stimulante appetitu, majoresque subinde affectus excitante, sensim in contrarium ferebatur:

Sed furor cogit seqvi

Pejora. Vadit animus in præcepis sciens,  
Remeatque, frustra sana consilia appetens.

Et

Et post pauca :

Quod Ratio poscit, vincit furor.

Alterum evidentius habetur apud Nasonem lib. 7. Metam. Medex,  
qvæ diu multumq; cum Appetitu luctata, mox Rationis dicta-  
men, mox Appetitus impulsum seq;ebatur. Rationis judicium  
illud erat:

Excute Virgineo conceptas pectore flamas

Si potes :

Cui oppressa Appetitus affectibus hæc reponebat :

----- Infelix si possem sanior essem,

Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido

Mens aliud svader.

Haec tenus nondum voluntas seipsam determinaverat ad alteru-  
trum, sed indifferens ad utrumq; fuit. Sponte tandem App-  
petitus herbam porrigens in hæc erumpebat :

----- Video meliora, proboq;

Deteriora seqvror.

XVIII. Ubi porro notamus, modos illos loquendi, v. g. si  
possem; trahit invitam; cogit furor &c. non ita intelligi, ac si vo-  
luntas simpliciter aliter se determinare non potuisset: sed qvia af-  
fectibus sub initium nimis indulgebat, frenaque laxabat, ultra-  
qvam par erat, hinc judicium intellectus aut non rite percipere po-  
tuit, aut abrepta affectibus prorsus respuit. Potuisset enim fre-  
nos injicere appetitui, et nemoq; mature compescere, nec per-  
mittere, ut tantas sumeret vires. Qvomodo vero id possit aut  
debeat fieri, Deo juvante, in seqventi dissertatione sumus daturi.  
En, infelicem viætorem, Dominum suum triumphantem, sed tri-  
umphum serà demum pœnitentiâ execrantem! En, qvi multa  
ambitiosè concupivit, superbè contempst, impotenter vicit, insi-  
diosè decepit, avarè rapuit, memoriam suam timentem! Seneca  
de brev. vitæ cap. 10. En, viætoriam nulli desiderandam, omnibus  
vitandam: cum præcipua & optima viætoriarum omnium sit, si  
seipsum qvis vincat; Turpissimum vero quiddam, & pessi-  
mum, si à se ipso vincatur. Plato Dial. 1.  
de Legibus.



Difficile est, currus nimium cohibere citatos,  
Affectus animæ vincere difficile est:  
Impediunt Rationis opus, meliora docentis  
Atque voluntati tristia vincla parant;  
Quæ meliora videns, illorum abrepta furore  
Sœpius inconstans deteriora capit.  
Qvod dum solemini ritu proponis; JōVA  
Conatus studio prosperiore beet.  
Macte animo; Mentis viætricia signa docere  
Perge, manent tales præmia digna Viros.

*Gratulabundo animo scr.*

Christianus Röhrensee, P.P.

Ristibus in tenebris Te non mens fulgida linquit,  
Tollit inopino se super astragradu:  
Felix ingenio, quod nil nisi vivida virtus  
Tangit, & ex vero gloria vera bono!  
Auguror! egregias nutrit Tibi Patria Lauros  
Implicitura Tue debita ferta come!

boni omnis c. scripsit

M. Joh. Baptista Röschelius,  
Fac. Phil. Adjunctus.

C

Pogna

**P**ugna datur cunctis, omnesque manere triumphus  
Posset, ni fugerent bella parata sibi.  
Qui trepidat multum, si classica forte canantur,  
Ecquod victoris nomen habere potest.  
Exibis pugnā, PLATANI Clarissime, victor,  
Tebis victorem latus Apollo videt.

*Clarissimo Eruditissimoque*

**DN. M. RESPONDENTI,**  
Auditori suo ob raras ingenii dotes,  
eruditionem non vulgarem, & mo-  
rum elegantiam probis omnibus  
commendando dabat  
**M. Gerhardus Mejer,**  
Fac. Ph. Adj.

**E**xiguo quamvis superasti tempore multa,  
Qui modò Respondens, mox quoque Praes eris.  
Resistuat loculos exhaustos Summus Iova,  
Patronosque bonos excitet ille ibi.  
Quo valeas studiis optatum imponere finem,  
Sic ornes Spartam quam Deus ipse dabit.

*Amica apposuit manus*

**M. Georgii Michaëlis,**  
Hung.

*Mira*

**M**ira Res, quamvis hominem creârit  
Conditor rerum sapiens, ut omne  
Reliquum longè superet creatum  
Nobilitate;

Quando eum solum ratione sanâ  
Menteque ornavit, cui cuncta subsint,  
Atque concordi sibi sint amore

Singula juncta.

Jusit hanc normam DÉUS actionum  
Esse, quam motus animæ seqvantur,  
Nec ruant cœco, sibi qvod probatur,  
Impetu in illud;

Paret ast raro ferus appetitus,  
Negligens ductum potius superbè,  
Mentis, & victor, rationis auder

Temnere jussa.

Hæcce dum doctè trutinas *Amice*,  
Qvæque funesta sit origo pugnae,  
Magnum opus volvis, superas sed illud

Omine fausto;

Dumque conaris laqveos acuto  
Dissecare aptè rationis ense,  
Docta qvos ponit tibi candidorum

Turba Virorum,

Dumque propugnas animo sagaci,  
Ac doces motus animæ triumphum  
Ducere almâ de ratione, *Victor*

*Ipsè triumphas.*

Sic

Sic probas palam ratione cunctis  
Rite doctrinam, tibi quam parasti  
Plurimo solers studio, perenni

Nec sine laude.

Ergo de primo *Tibi, Amice suavis,*  
Gratulor certamine, perge, certo  
Sic *Tibi* perget peritura nunquam

Crescere fama;

Sic *Tuis* porro studiis supremum  
Numen ex alto faveat, secundet  
Cœpta, succedant *Tibi* rite fausto  
Cuncta labore.

Ita

Pereximii atque erudiū docti DN. M. Respondemis  
auctoris disputationis dexterrimi, fautoris sin-  
gulariter colendi, amici, ob quotidianam stu-  
diorum communicationem conjunctissimi lau-  
datissimis ausibus priscum feliciter acclamare  
voluit

David Buches/  
Vrat. Sileſ.




Ung. VI 59  
f




56.

VD17

26.6.2000 U,





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Q. D. J. B. V.

# Appetitum, RATIONEM TRIUM- PHANTEM,

DISSERTATIONE ETHICA 26  
PRIORE,

P R A E S I D E

V I R O

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, atque  
EXCELLENTISSIMO

Dn. CHRISTIANO Röhrensee/

Phil. Pract. P.P. dudum celeberrimo,

Alumn. Elect. Ephoro gravissimo,

Dn. Patrono & Studiorum promotore

dexterrimo,

Placido Eruditorum Examini

fisit.

A. & R.

M. MATTHIAS PLATANI,

Draveicensis Hung.

An. M DC XC Die 5. Apr.

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ, Typis MARTINI SCHULTZII.

